

1125 pus sublatum Venetias deportandum curavit, quod in aurea Divi Marci æde est conditum, eo quidem sacello, quod a Narsete ex hostium manubiis erectum supra ostendimus. Hic aliquandiu ob hyemis magnitudinem classis stationem habuit: aut certe locum ad rationem belli idoneum nactus Venetus, tam diu illic esse voluit, quoad circumjecta loca Græcis ademisset. Mox vero hinc deducta classem, Samum primo, inde Lesbum, Andrum atque alias Græcanici Imperii insulas armis oppressit. His circa Cicladas gestis, occupataque in ora Peloponnesiaca Methone (vulgus hodie locum *Modonem* vocat) ac præsidio ibi ad custodiam relicto, quum in Dalmatiam venisset, Jaderam, ut scribunt quidam, unde Venetus magistratus fuerat ante ejectus,cepit, receptamque (ut finitimis urbibus illius clades documento esset, ac fidem in quam olim ultro venissent, nollent prodere) magna ex parte evertit. Spalatum deinde Traguriumque armis recepit. Sed alii hæc quæ in Dalmatia ab eo facta dicuntur, silentio præteriere. His tot tantisque rebus gestis, omni ora maritima a Syria in Dalmatiam usque partim domita, partim ab injuria hostium vindicata, incolumi classe reducta, omnibus æque gratus urbem Michael est ingressus: ubi quum de rebus a se gestis pro concione differuerit, magnificientissimis verbis est ab omnibus civitatis ordinibus laudatus. Res christiani nominis in Syria jam hinc paulatim retrofluentes, in pejus semper abierunt, usque ad Baldoini quinti tempora, quibus Hierosolyma a Saladino Ægyptiorum Rege oppressa est, anno postquam a Christianis recepta fuerat, octavo supra octogesimum. Multi variique fuerunt tam Italæ quam reliquæ Europæ apparatus pro Syria retinenda: nonnunquam etiam in Asiam transmisum. Sed illi ipsi motus, irriti omnes vanique fuerunt: de quibus, ut suo quisque loco occurrerit, ne Venetarum rerum ordo turbaretur, breviter dicendum duximus.

*Aedes publi-  
ca Charita-  
tis in media  
urbe adi-  
cata.*

Per id tempus, quo Michaelis auspiciis hæc sunt in Asia a Venetis gesta, vel non multo post ejus redditum, ædes publicæ Charitatis, ac quicquid operum illi accubat,